


Ratio in miscendis medicamentis obseruanda.



In his omnibus qñq; vsu venit miscere similia medicamenta cōuenientia in gradu, quod conducere possit, vt assequamur præcisè qualitatem conuenientem pro morbo. Sed vt notat Auer. 5. coll. 57. iuant hæc medicamenta si accidat vnum esse tenuius, quod crassiore miscatur, quare penetrare facit, & intimius agere. Si vero hoc non accidat, quo ad scopum hunc, nihil facit huiusmodi miscella.

Vt in inflammatione vehemēti cum fluxione, Miscemus refrigerantia repellētibus. Vt si bilis & obstructio adsit, Miscemus refrigerantia attenuantibus.

Vt si vlcus cum mala temperatura calida, Miscemus refrigerantia exiccantibus.

Vt sit humor frigidus, & dolor vehemens, Miscemus calefaciētia dolorē leniētibus.

Vt si febris cum fluxu ventris, Miscemus alterantia astringentibus.

Vt si vigilie multæ cū alui fluore, Miscemus conciliantia somnum astringentibus.

Vt si febris, obstructio, & vomitus, Miscemus alterantia attenuantibus, & ventrem corroborantibus.

Vt si adsit febris, & humor frigidus, Miscemus refrigerantia calefacientibus.

Vt si peccet bilis cum pituita, Miscemus refrigerantia calefacientibus.

Vt si sit humor frigidus, & dolor vehemens, Miscemus calida stupefacientibus.

Vt si ventriculus laboret mala temperatura frigida, iecur calida, Miscemus calefacientia refrigerantibus.

Vt si febris adsit cum sopore graui, Miscemus calida frigidis.

Vt coma sōniculosū, Miscemus calida frigidis. In hoc omnia non reperiuntur simul nisi secundum quid, cum vnum vni sit contrarium.

Omnium simul, vt cū morbi, causæ, symptomata sunt varia, & partim contraria, Miscemus diuersa, vt in Theriacis compositione.

Si desint medicamenta accommodata, quæ præcisè tantum agant, quantum intendimus, vt imbecillū fiat validius, aut contra, commiscemus eiusdem qualitatis valentiora, & imbecilliora 1. de comp. med. per genera 3. Ad hoc misceri etiam possunt alia, quæ obtundant, aut vigorent medicamenta, vt oleum ærugini miscetur, vt minus agat, & cinnamomum, aloë, & zingiber agarico, vt magis.

Vt si vlcus sit in intestinis calce abstergendum, aut alia re sicca, quæ in infundi nequeat, liquida admiscemus, vt infundi possit.

Miscemus etiam ærugini, squammæ aris, ac alijs, quæ conficere volumus ad formam emplastri lithargyrum, oleum, & similia.

Vt si pars sit alteranda in profundo, Miscemus aliqua, quæ ad loca perducant, aut valentiora eiusdem qualitatis & tenuium partium, aut etiam aliquod oppositæ qualitatis, vt calidæ: sic in vlcere renum, quod intendimus ducere ad cicatricem, Miscemus medicamentis tenuia, & quæ per se offenderent, imò vlcus auget, vt cantharides: aut lenta, vt in gulæ affectibus, vt hæere possint in transitu.

Vt inflammato iecore, digerentibus miscemus astringentia, ne ipsius robur dissoluatur.

Et si vbi desit medicamentum alterans simplicis qualitatis, miscemus duo in vna qualitate similia, in altera contraria: vt calidum, & humidum cum frigido, & humido.

Vt cum purgandū est caput scamonio, ne offendatur ventriculus, aut iecur, Miscemus odorata modice styptica, vt viscerum robur seruet.

Cito, propterea Turbith & Agarico zingiber miscemus.

Tarde, purgatorijs crassiora miscemus, & in forma pilulari conficimus, vt purgatio paulatim fiat.

Inspicientibus, veluti antiqui nobis diligentiores emplastris coloris gratia miscabant cerusam, vt alba essent, aut oleum recens. 1. de comp. med. per genera. cap. 12.

Gustantibus, vt cum scammonio miscemus cotoneū, & Theriacæ vinum dulce 3. simp. 15. & 1. de Antidot. 5.

Odorantibus, vt propter diuites & delicatos, pompholygi in neruis vulneratis detectis miscemus picata vnguenta. 3. de comp. med. per genera. 8.

Tangentibus, vt in medicamento, & Hydrelæo admiscemus oleum recens, ac multa alia, vt blandius fiat. 1. de comp. med. per genera. 6.